



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica 4. Post Epiphaniam. De sedata maris tempestate, imperio
Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

panem meum, & bibite visum quod miseri vobis. Hi sunt inter amicos charissimi qui inebriantur; Comedit, inquit, amici, & bibite: & inebriamini charissimi, id est replemini tantâ gratiarum abundantia, ut non jam homines, non ratione humana moveamini: sed toti coelestes, & divini evadatis. Hoc est enim singulare beneficium sacræ Communionis, ad quam acceditur cum veste nuptiali, id est, cum sibi conveniente dispositione: ita replet animum divinis infusionibus, ut totus absorptus, & inebriatus sentiat. Amici quidem sunt qui in caritate communicant, & hi quidem comedunt & bibunt; sed qui ad caritatem addunt puriorem illum & perfectiorem modum, qui suo statui, & præsentis gratiæ convenit, hi sunt

charissimi, & præter communem Communionis fructum, tam multos alios referunt, ut unâ communionem plus aliquando proficiant, quam alii pluribus.

O dulcissimè Domine Jesu quanta est dulcedo devota anima tecum epulantis in convivio tuo. Vide libri quarti de Imitatione Christi caput undecimum; & sic deplora tot gratiarum jacturas quas fecisti, ut ad eas reparandas novo accendaris desiderio, non aliter deinceps communicandi, quam cum debita, & convenienti dispositione animi, quantum cum divina gratia, & Directoris operâ procurare possis. Dilata os tuum & implebit illud.

Vide Verbo *Communionis, Eucharistia* præsertim in 3. parte.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM, NISI SIT SEPTUAGESIMA.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE IMPERIO CHRISTI.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Non quia mala sunt, perturbamur in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt.

RATIO EST, Quia totum adversitatis malum, in malo est ejus usus.

Sed malus adversitatis usus ex perturbatione potius provenit, quam ex malo usu, perturbatio.

Ergo non quia mala sunt, perturbamur, in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt: ac proinde magis cavendum est perturbari in adversis, quam ipsa quævis subire adversa.

I. PUNCTUM.

ASCENDENTE Jesu in naviculam secuti sunt discipuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes; Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus, *Quid timidi estis, mo-*

dica fidei? Tunc surgens imperavit ventis & mari, & factus est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes, qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?

Hæc hodierni Evangelii verba, quæ alibi rursus considerantur, sic revolve; ut animadvertas primum, quantæ molestiarum moles, quanti calamitatum fluctus, & procellæ nos agitent in hac vita. Deinde quæ parum constantes, in his simus, licet non ignoremus nihil nisi Deo volente nobis accidere, nihilque eo præsentem, & adjuvante posse esse, si velimus, boni emulatores esse, sicut ait S. Petrus, id est bene uti occasione. Denique nostram animi perturbationem & impatientiam in adversis, majus esse malum, quam ipsa quævis adversa; Nam nisi perturbaremur, mala non essent; quidquid enim dicamus ad excusandas perturbationes nostras, quidquid contra sentiamus, certa est Veritas, & digna quæ sæpe recolatur, *Non quia mala sunt perturbamur in adversis, sed quia perturbamur, adversa mala sunt.*

Ratio, quæ proponitur, continet universale illud principium, de quo fusiùs in aliis Veritatibus

rebus explanandis; Quod scilicet in creatis rebus nihil boni vel mali proprie dicendum sit, nisi bonus vel malus earum usus: Non prosperitas non divitiarum non deliciae, non humana gloria, non quaevis alia huius vitae commoda, vere bona sunt, nisi bene iis utaris: sic neque paupertas, nec calamitas, neque morbi, iactura aut alia quaecumque adversa incident, censenda mala sunt, nisi tu, male utendo, mala facias. *Hac omnia sanctis in bona, inquit Sapiens, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.*

Unus est vere bonum. Deus, & aeterna Beatitude, cui possidendae creati sumus: caetera super terram sita, tam vere bona vel mala sunt, quam nos vere ad illum nostrum finem ducunt, vel inde abducunt.

Hinc illa fatalis arbor dicta est scientia boni & mali, quod per eius usum primus homo didicisset, quid boni vel mali esset in rebus pro ut videlicet bene vel male homines uterentur ad finem suum. Quid sacratius illo sacro Pane quem Judas proditor accepit à Christo Domino, Et tamen cum illum accepisset, tum iniuricus in eum intravit, *Non quia malum accepit*, inquit sanctus Augustinus, *sed quia bonum male, malus accepit.* NON res calumniatur, aiebat cetero S. Chrysostomus, *sed nos & nostrum torporem; Nequa dicamus, non sine mulieris, non sine vinum, pecunia: sed ne sine crapula, ne sine fornicatio; Non venter crapulam facit, sed negligentia: non comedit & bibit Diabolus, & cecidit; comedit & bibit Paulus, & in caelum ascendit, omnia sunt ad virtutem arma: vide Iob in divitiis & paupertate; Et quae fufius pergit; Brevius autem Apostolus, omnia munda mundis, coinquiritatis autem nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia.*

Atque ut uno ictu oculi videas, quod longiori discursu explicari non potest; intue te cœlum, & cum Ioanne Apostolo, cerne Beatos omnes ut palmas in manibus habent; quamobrem putas? nisi quia dum viverent pugnarunt cum adversis rebus, vicerunt & triumphant.

At vero in infernum retorque oculos, & infelices illos vide, qui gemunt se lassatos in via iniquitatis & perditionis, nec non ambulasse vias difficiles, id est, non minus esse passos, quam illos qui palmas habent; cur ergo hi non triumphant sicut illi? quia videlicet non sic vicerunt, non sic pugnarunt, non eodem modo adversis usi sunt, ac proinde quae res adversa uni

hominis gradus fuit in caelum, fuit alteri praecipitium, & casus in exitium sempiternum. Ad id verum est totum adversitatis malum, in malo eius esse usum.

O quam injuriam rebus inferis, & rerum Creatori, cum de illis conquereris, quasi malae essent & perverse! Quam vere potius de te quererentur, quod cum bonae essent, tu male aut perperam eas usurpando, malas fecisti; *Arma ibid. bit idcirco. Deus creaturam ad ultionem inimicorum.*

II. PUNCTUM.

SED malus adversitatis usus, ex perturbatione potius provenit, quam ex malo usui, perturbatio.

Posses quidem dolere & angere quod male rebus utaris, atque in illo dolore non nihil perturbari: sed de hac perturbatione non agitur, quae rara est, & quae facile componi potest. Alia est frequentissima, quae statim atque sentitur aut apparet adversitas, ita commoventur & perturbamur ut ex illa perturbatione animus in impatiecitiâ, in murmura, in clamores, & alios inordinatos motus efferatur: unde est ille malus adversitatis usus, de quo hic loquimur. *Quid perdis animam tuam in furore tuo? Respondebis forte quod idcirco perturbaberis quia mala illa sunt quae occurrunt, quaeque adversantur; neque aliter perturbatione concitari, quam ex apprehensione mali, quod naturali motu timeamus, odimus, fugimus, & aversamur. Sed contra, non propterea, res mala est, quod eam ita mente apprehendas, sapissime enim fallitur talis apprehensio, & illud nobis; unde & timor ne cœtus dicitur, Non timebis in timore nocturno. Id est, ut interpretatur Cardinalis Bellarminus ex sancto Joanne Chrysostomo, In nocte adversitatis non timebis ab his rebus, quae non laedunt si non timeantur: talia sunt detractioes, concupiscentia, contumelia quae nocent illi à quo dicuntur, non illi in quem dicuntur, nisi ipse timeat. & eas magni faciendo seipsum laedat.*

Deinde, esto sint mala sensibus, sit res mala naturae corruptae, & praesenti quam agimus vitae si tamen pro sit Deo colendo, si ad aeternam juvat beatitudinem, si sine nostro assequendo confert, an vocabis illud malum? An dicenda est mala medicina, quae licet amara sit, sanitatem affert? An ille labor malus, quo divitiarum comparantur? An omnia denique mala, quae sunt dura, & aspera, sine quibus tamen bona alia non proveniunt?

Hebr. 12. veniunt? Sic omnis disciplina, inquit Apostolus, in presenti quidem videtur non esse gaudi, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatus per eam reddet iustitia: propter quod ramifissas manus, & soluta genua erigite, & gressus retilos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Quasi diceret, non est iudicium de re ferendum ex sensu, sed ex fructu quem confert ad finem nostrum; ac proinde licet res illa videatur mala sensui, propterea que conturbemur, non est tamen revera mala, antequam conturbetur, quia nisi conturbatus esses, poterat valde tibi prodesse: cum verò te finis perturbati, & perturbatus murmurat, ac murmurando peccas, tum verè mala res illa fit; quia hoc est verè malum, murmurare & peccare. Scito & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei, apud te, dicit Dominus.

III. PUNCTUM.

Non ergo quia mala sunt, perturbamur in adversis: sed quia perturbamur, adversa mala sunt. Non enim verè mala sunt, nisi quando his male utimur, non male utimur nisi perturbati. Nam tum amaræ voces, iræ, murmura, tixæ, blasphemie, & similia, quæ longè nos à vero bono, & nostro fine revocant; ac proinde tam verè mala sunt, quàm bona esse poterant, si bene usi essemus: quod facile fieri poterat, si animo quieto & sedato, calicem à Domini manu accepisses. Quia enim ab illà manu potest non esse bonum? Percussit, & manus eius sanabunt, quasi diceretur, si Deus unam habet manum ut percussit, duas habet ut sanat, id est duplicat bonum ex adversis. Nam sic præterita eluuntur peccata, & futura præventur Castigasti me, & eruditus sum quasi juvenculus in aominis, ait Propheta.

Sic erudire castigatus, cave perturberis. Ne formides à facie eorum. Non turbetur cor tuum neque formidet. Disce ex cunctis occurrentibus semper proficere, & bene omnibus uti. Audi Philosophum de suo Sapiente sic differentem. Sapienti non nocetur à paupertate, non à dolore, non ab aliis tempestatibus vitæ. Ipse semper in aetna est in effectu tunc maximus, cum illi se fortuna opposuit; Adversosque casus aptus est; Bono-

rum Receptor est, malorum Victor. Sic se exercuit, ne virtutem tam in secunda, quàm in adversis exberet: nec materiam eius, sed ipsam intus extitit. Itaque nec paupertas illum, nec dolor, nec quidquid aliud imperitos avertit; & precipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis, utitur. Non ex ebore, tantum Phidias sciebat facere simulachra, faciebat ex are: si marmor illi, si adhuc vilio rem materiam obtulisses, fecisset quale e illa fieri optimum, possit; Sic Sapiens virtutem, si licet bis, in divitiis explicabit, si minus in paupertate. Si poterit, in patria: si minus, in exilio; si poterit, imperator: si minus, miles: si poterit, integer: si minus, debilis: quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet. Certi sunt dormitores ferarum, qui savissima animalia, & ad occursum exterrita hominem, cogant pati sub jugum, nec asperitatem excussisse contenti, utque in contubernium mitigant: Leonibus Magister manum inferdat, osculatur Tigris suis Custos, & Elephantem Aethiops jubet subsidere in genua, ambulare per funem. Sic Sapiens est artifex domandi mali: dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, ubique horrenda, cum ad hunc pervenero, mansueta sunt.

Quid hic dices Christiane, quid Religiosè perterriti in adversis? Esto hæc fortè facilius scribantur de Stoico, quàm ab eo fiant vides tamen quid ratio suadeat faciendum. At vero si rationi adjungas fidem & religionem, si divinæ auxilii gratiæ, si sacrarum Monumenta scripturarum, si probata sanctorum exempla, si sexcenta quæ habemus à Christo motiva sic agendi, quid excusabis? Quid prætextes? Quid contra oppones. Quæcumque lex loquitur, inquit Apostolus, Rom. 3. qui in lege sunt loquitur, ut omnes observentur. Quanto sunt scilicet ad agendum & patiendum plura motiva, tanto minus est excusandi sui suffugium.

Vide in secunda parte totam Hebdomadam, infra Sexagesimam, & præcipue Feria 3. ubi hæc habetur veritas: Quod Christus semel suis, hoc in omni semper casu tibi dicit, Non turbetur cor tuum. Et in 3. parte Feria quarta: Res adversa non possent quemquam deicere, nisi se his vellet subiacere.

IN EA-

IN EADEM DOMINICA.

Domine, salva nos, perimus. Matth. 8.

VERITAS PRACTICA.

Peregrinantis in corpore animæ majus est periculum, quam periclitantis in navi corporis.

RATIO EST. Quia ex duobus eque periclitantibus, majus est illius periculum, cui minus attenditur, minus cavetur, minusque prospicitur.

Sed tale est anima peregrinantis in corpore periculum, non minus est periculum quam corporis in navi periclitantis: & minus ei tamen attenditur, & cavetur.

Ergo peregrinantis in corpore animæ majus est periculum, quam periclitantis in navi corporis. Quod certe est diligenter attendendum, ut intelligamus quam sit nobis continuo inelamandum, DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS.

I. PUNCTUM.

PRIMA propositio per se patet, aut si quid fusius pertractandum videretur, attingi posset quanta in mari occurrant pericula & incommoda, nempe ab ipso elemento quod per se ita æstuosum est, ut se vix unquam contineat. Deinde à ventis undequaque flantibus, & restantibus: à tempestate, à malatia, à piratis, ab hostibus, à diuturnitate itineris, à molestia mansionis, victus, convictus, & sexcentarum hujusmodi difficultatum, unde Sapiens, qui navigant mare, enarrant pericula ejus. Antequam verò se illis exponant periculis, sic sibi ab omnibus necessariis prospiciunt, ut qui sibi non ita prospicerent, vel dum instant pericula non caverent, vel non contenderent, nec contra obniterentur. certissime se ruinæ darent: ac proinde nulla videtur restare difficultas intelligendi, quod ex duobus qui mare navigant, & in navigio simul ex æquo periclitentur, majus & certius sit illius periculum, cui minus attenditur, minus prospicitur, & cavetur. Divisum est cor eorum, nunc interibunt. O quantis est cor divisum suo in spirituali negotio! quantis à quantis imminet talis interitus!

II. PUNCTUM.

SED tale est anima peregrinantis in corpore periculum: non minus periclitatur quam corpus in navi, minus tamen ei attenditur & cavetur.

Primo quidem quanta sit humanæ vitæ, & navigationis similitudo, per se patet, & frequenter reperitur in Scripturis & Patribus. Tamquam navis qua pertransit fluctuantem aquam. Quasi naves poma portantes, id est velocissime decurrentes propter levitatem & corruptibilitatem oneris, sic dies nostri avolant. Deinde verò quæ & quantæ sint tempestates, vel uno psalmi discere verisicilo: Non me demergat tempestas aqua, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me piceus os suum.

Quia porro dum referuntur maris tempestates, dicuntur esse decem fluctus quibus impetuatur, & jactantur navigia, & quorum decimo seu decumano proxime periclitantur: non abs te fuerit, si tot distinctè connumerentur articuli, unde tamquam à fluctibus, anima impetatur, & agitur in suo corpore, quamdiu hic peregrinatur à Domino. Quinque sunt à rebus prosperis, totidemque ab adversis.

A PROSPERIS, primis fluctus sunt divitiarum, de quibus sic aperit Apostolus, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inania & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Secundus, deliciae, de quibus illud Moylis, Inundationem maris quasi lac sugent. Tertius, honores seu favores mundi, de quibus aptè Rex David: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Quartus, Amici, domestici, Concives & mos ipse humanus, de quo egregium est illud sancti Augustini? Va tibi stemmen moris humani! quis resistet tibi? quamdiu non sicaberis? quousque volves Erva Filios, in mare magnum & formidolosum, quod vix transeant qui lignum conscenderint. Cui & jungi potest illud Itaræ: Ut altitudo maris sonantis rapietur, us turbo in tempestate. Quintus Temperamentum, seu naturalis complexio, quæ quo est gravior eo est perniciosior, & proclivior ad peccandum, unde illud Plauti: torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

AB

Iob. 27. Ab adversis autem primus fluctus est, inopia, de qua sic in libro Job aptissime, *Apprehendet eum quasi aqua inopia: opprimer eum tempestas.* Secundus, miseriae seu dolores corporis & animi, de quibus Rex Antiochus, *In quantam, inquit, tribulationem deveni, in quos fluctus tristitia.* Tertius, miseriae seu calamitates temporum, de quibus fuscè Sapiens: *Occupatio magna & jugum grave super filios Adam: tumultus, fluctuatio, timor mortis, iracundia perseverans, & contentio.* Quartus, injuriarum, calumniarum, litium, & quidquid ab æmulis & adversariis fingitur, de quibus in hoc sensu David: *Libera me ab iis qui oderant me, & de profundis aquarum.* Quintus & ultimus, affectus inordinati, qui nullam in animo sinunt pacem, unde est geminatum illud in Propheta: *Non est pax impiis, dicit Dominus. Inquit quasi mare fervens quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in concubationem, & latum: Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Iob. 37. Adde his quàm infirmum corpus, quàm rimosa navis, & quàm facile ex sensibus tum externis tum internis, unde quaque *subannationem quasi aquam bibat*, ut est in Scriptura; Potest enim dici fingi vel aliquid præsentius ad periculum, & periculolius ad naufragium?

Prov. 23. Quàm parum denique tam præsentis, certo ve animæ periculo caveatur, quis non videt? Quis se putet in tempestate, & in certo naufragii periculo, cum se videt in divitiis & deliciis? O quàm verè dictum à Sapiente de quavis anima suam nesciente, nec cogitante periculum: *Sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo, & dicens, traxerunt me, & ego non sensi!* Numquid talis est anima tua? Numquid dormitavit prætadio rerum spiritualium? *At perditio non dormitat*, inquit S. Petrus.

III. PUNCTUM.

PEREGRINANTIS igitur in corpore anima, majus est periculum, quàm periclitantis

HAC HEBDOMADE, in historia Paralitici sanati apud Capharnaum, consideratur progressus vitæ spiritualis quædam forma, per tres perfectionis acquirendæ vias. Primò in purgativa, incipientes impedimenta quæque perfingunt, quibus ab incepto retardari possent. Deinde in particulari peccata, eorumque radices ac habitus deponunt.

Tum pro via illuminativa proficientes, primum quemque motum animi, & corporis vitiosum, statim ut oritur reprimunt; & ex consequenti sic assuescunt virtuti, ut vix ullo jam naturæ impetu aut inordinato motu agitentur, sed ad virtutis & Gratiæ ductum toti sunt facti.

Denique pro unitiva Perfecti, unam Dei voluntatem in suis omnibus spectant, ubique Deum *Hayneusei pars prima.*

in navi corporis, licet æquale utrisque foret periculum, cum tamen animæ minus provideatur, quàm corpori, longè magis periclitari dicenda est anima, de qua proinde in Scriptura expressè dicitur: *Moriatur anima eorum in tempestate.* *Iob. 37.* Ac propterea Job sapienter dicebat: *Semper quasi timentes super me fluctus, timui Deum.* *Ibid. 31.* O si d sciretis, si sic Deum timeres! Disce vel ab ipso mari, & ventis qui à Christo cessare iussi, statim quiescunt. Quæ de re in tertium parte suscitatus, quæ huc commodè referri possunt, feriã tertiam infra Hebdomadam nonam post Pentecosten, ad hæc Christi Domini verba, dum imperaret ventis, & mari: *Tace, obmutescite. VOX illa, vox Christi est, dum commoveris, nec tamen taces aut obmutescis; Quod sanè est erubescendum.* Concludat denique sanctus Augustinus his ad rem verbis aptissimis, *Si quid in navicula anima nostra multis tempestatibus, peccatorum fluctibus, aut per superbiam fractum, aut per avaritiam ruptum, aut per luxuriam resolutum esse cognoscimus, componere vel reparare bonis operibus festinemus. Studeamus jugiter vitiorum exhaurire sentinam. Non enim nocent peccata præterita, si non placent præsentia.*

Opportunum & illud esset quod supra, die 10. & 11. Januarii refertur: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit. Et meliore rerum status non magis gaudet iustus, quàm deteriore doliuit.*

Vide & infra in hac parte Feriam sextam infra Hebdomadam quintam: *Nisi probe paratus sis ad diversa, nec ad ipsa prospera bene paratus es.* Et FERIA SECUNDA infra Hebdomadam sextam. *Quanto minus murmuramus, aut omnino taceamus flagellati à Domino, tanto altius altissimum ejus Dominium prædicamus.* Quæ veritas possit accommodari verbis Evangelii, *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.*

præsentem ac divinas ejus perfectiones contemplantur, nihil nisi de eo cogitant & loquuntur, simulque alios ad ejus cultum, & prædicandam gloriam provocant & hortantur. Quæ omnia eodem ordine, ex illa deducuntur historia, binis pro unaquaque Perfectionis viâ, propositis veritatibus.

FERIA SECUNDA.

DE PARALYTICO SUMMISSO PER TEGULAS, IN CONSPECTUM DOMINI JESU.

ET

DE PRIMO VIÆ PURGATIVÆ GRADU, QVO IMPE- DIMENTA PERFECTIONIS QUANTOCIUS PERFRINGUNTUR.

Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summisserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.

Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Quò longius differs, difficultatem difficilius tolles,

RATIO EST, Quia quo major est repugnantia voluntatis & minor Gratia, eò difficilius difficultas tollitur.

Sed quò longius differs, major est repugnantia voluntatis, & minor Gratia.

Ergo & difficultatem difficilius tolles, ac proinde perfringendum quamocius quidquid obstat.

I. PUNCTUM.

TANTA erat miraculorum Christi Domini fama, tantus divinæ illius conversationis splendor, tale animorum erga ipsum studium, tam multus denique populi undique confluentis concursus, ut vix pateret ad eum liber accessus, O qualis tam felicitas sæculi! Sed quid faciet Paralyticus, qui se lecto movere non potest? Rogare quidem poterit, qui se portent, & inferant ante eum: sed illi ipsi viri, qui hoc pietatis officium suscipiant, quâ tandem parte illum offerent, cum o-

mnes sint interclusi aditus? At vide quàm ingeniosa sit Charitas; *Ascenderunt*, inquit Evangelista, *supra tectum, & per tegulas summisserunt eum cum lecto in medium, ante Iesum.* Quale spectaculum! quàm pium! quàm salubre! quàm ipsi Domino gratum & jucundum! sic oporteret vel aliis esse auxilio, vel aliorum implorare opem ad faciliorem accessum erga Dominum promerendum. *Primum omnium quod antè diximus*, ait hic S. Augustinus, *unusquisque* L. 5. in 8. *ager peccata precatores salutis debet adhibere, per quos vite nostræ compago resoluta ætuumque nostrorum clauda vestigia, verbi cœlestis remedio reformetur.* Sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exteriori corporis debilitate torpentem ad superiora erigant, quorum rursus adminiculis & attollere, & humiliare se possit, ut facilius ante Iesum loquetur, dominico videri dignus aspectu.

Hæc ille totidem verbis, quæ valde confirmant veritates proximè superioris hebdomadæ. Verùm ad propositam modò materiam ut affigamus animum, vide quàm admiranda Christi Domini sapientia, qui nobis progressum quendam totius perfectionis acquirendæ, in hoc uno facti paralytici opere subiecit. Admirare quàm aptè

apertè illud quod primò narratur de referato aditu per sublatis regulas, repræsentet studiosis suæ salutis & perfectionis, difficultates omnes, quæ initio multæ occurrunt, & ab inchoando retardant, statim ut occurrunt, esse abrumpendas; Quia scilicet quò longius differes, eò difficultatem difficilium tolles. Augebitur enim repugnantia voluntatis, & imminuetur Gratia, quæ duæ sunt difficultatum omnium tam apertæ causæ, ut quo major erit repugnantia voluntatis, & minor gratia, eò difficilium difficultas tollatur.

Hoc primò universim esset probandum, nisi satis ipso pateret sensu; unde nam etenim major sentitur difficultas ab uno, quàm ab alio, in quibusdam asperis aut abjectis operibus suscipiendis, nisi quia magis repugnat illius indoles, aut concupiscentia, quæ voluntatem ad se alliciens, eam etiam reluctantem & repugnantem facit? Ament illi ex æquo quod proponitur, quantumcunque sit in se asperum: Nihil tum erit difficile volentibus & amantibus: *Anima saturata*, inquit Sapiens, *calcavit favum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.*

Quod sit tamen illius animus, qui majorem in aliqua difficultatem & repugnantiam sentit, abundantiori gratiâ repletur, quàm iste alius cui res minus apparet difficilis, fortè ille tum fortius & constantius difficultatem omnem absorberet, & cum Davide diceret, *In Deo meo transgrediar murum: & viam mandatorum tuorum cucurricum dilatasti cor meum.*

At verò si è contra, debilitato magis difficultatibus animo divinum etiam imminueretur auxilium, nonne tum difficultates viderentur auctæ? Nonne tum pondus ponderi additum? nonne tum ille inelamaret, *quare oblitus es mei, dum affligit me inimicus, dum confringuntur ossa mea?* O verè deplorandam illorum miseriam, de quibus etiam dicitur, *Et humiliatum est in laboribus cor eorum: informati sunt, nec fuit qui adjuvaret.*

II. PUNCTUM.

SED quò longius differes, major erit repugnantia voluntatis, & minor gratia.

Crescit enim semper concupiscentia, unde est repugnantia voluntatis, *quasi ignis exardescit*, inquit Ecclesiasticus: *Et ille est ignis qui numquam dicit, sufficit. Ignis est usque ad perdis-*

tionem devorans, & omnia eradicans genimina. Illa est olla succensa quæ semper magis ac magis succenditur: & cui virga vigilans imminet propius. Cancer est qui nunquam sistit, sed serpendo depascitur sævius quamcunque animi partem invaserit. O quantà, quàm robusta, quàm efficaci tum opus esset gratiâ!

Et verò, adeo non datur tam robusta & potens, quin potius dilatione repudiata, & offensa Gratia decrescit in dies crescente concupiscentiâ, & tantò minus datur auxilium, quantò magis esset optandum. *Va qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Morata sponsa pulsanti aperire sponso, *surrexit postea ut aperiret, at ille declinaverat atque transierat; quæ sivit & non invenit illum. Vocavit & non respondit ei: quin etiam denudata est à custodibus, percussa est & vulnerata.* O damnosam dilationem, *Auferite ab illa manum*, inquit Dominus gratiæ, *quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* AD HVC modicum lumen in vobis est, *ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebra comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Nonne hoc est ipso lumine clarius ad rem exprimendam?

III. PUNCTUM.

QUO longius ergo differes, difficultatem difficilium tolles, & ne quidem fortè unquam tolles, atque in eodem imperfectionis statu permanebis. Quin etiam deterius rues, propter allatas causas crescentis concupiscentiæ, & decrescantis gratiæ. *Angustia super veniente requirunt pacem, & non erit*, inquit Propheta, *conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum*, id est, denunciatio mali super malum. Unde aperte patet meram esse illusionem, & fallaciam mentis perniciosissimam, in incæptis deterreri difficultate, ac propterea differere quod velles aggredi. Quod enim expectas differendo, hoc unum est, ut tollatur difficultas: at non tollitur differendo, imò augetur. Quid ergo differes propter præsentem difficultatem, quæ futura est gravior, quo magis differes? Nonne potius propter illam ipsam causam quæ te modo retardat, maturandum esset? Nam si modo justa remorandi causa videtur propter aliquid quod apparet difficile: nonne justior semper apparebit illa causa cum illud ipsum difficile, difficilium in dies erit? *Si non intercessisset*

Prov.

Pf. 17.
Pf. 118.

Pf. 41.

Pf. 106.

Ecc. 9.
Prov. 30.
Job. 31.

Ier. 10

2. Tim. 2.

Ibid.

If. 33.

Cant. 5.

Luc. 19.

Ioann. 12.

Ezech. 7.

S. Aug. 8.
Confess. 3

Gen. 43.

set dilatio, jam vice altera venissemus, id est non eam difficultatem pateremur, quam modo patimur, longè res faciliùs peracta esset. Sic Judas filius Jacob ad excitandum Patrem, qui volebat concedere Beniaminum. Sic teipsum exacue cum divina Gratia; jam enim diutius dif-

fers quò vocaris ire, ad perfectum tui contemptum. *Festina, quaso te, & harenti in salo navi. cula finem magis præcide, quàm solve.* Tu Domine nostras rebelles ad te propitius compelle voluntates.

S. Hier.
ep. 103.
ad Paul.

FERIA TERTIA.
DE REMISSIS PARALYTICO PECCATIS,
ET
DE RATIONABILI SOLICITVDINE CIRCA
NOSTRORUM REMISSIONEM.

Homo, remittuntur tibi peccata tua. Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Sicut non est habenda sollicitudo anxia, & scrupulosa de peccatis remissis! ita rationabilis non est deponenda.

RATIO EST, Quia procuranda semper est, cum divina Gratia, moderatio quadam animi inter nimiam timiditatem seu abjectionem, qua vergit in desperationem, & nimiam securitatem, qua nos ducit in elationem.

Sed non potest melius procurari, aut formari talis moderatio, quam si abjecta solitudine anxia, de peccatis remissis, retineatur rationabilis.

Ergo sicut illa est abjicienda, ita hac retinenda: In q. no tamen utrimque multi peccant.

I. PUNCTUM.

ADMIRANDUM sanè est, quòd cum Paralyticus oblatus Domino, nec illi ipsi viri qui eum offerebant aliud viderentur petere, quàm sanitatè corporis, neque ullo modo loquerentur, aut fortè etiam nec cogitarent de salute animæ, vel remittendis peccatis: è contra Christus Dom. nihil de morbo nihil de sanitate locutus, hoc unum paralytico dixit: *Homo, vel ut habet alius Evangelista, fili, remittuntur tibi peccata tua* Quia scilicet hoc primum & maximùm malum est hominis, vel semel peccasse in Deum: ex quo malo culpæ, cætera omnia quæ dicuntur pœnæ, proficiscun-

tur; quo remanente, nihil juvant bona quæ feceris: quo sublato, nihil nocent mala quæcunque patiaris. Sic S. Hieronymus, *Fortè, inquit, prius dimittis peccata ut ablati causis morbi, sanitas restituatur, Et ut ait sanctus Augustinus, satis est paralytico esse hominem ut sit peccator: sic satis est esse peccatorem, ut de peccatis remittendis cum illo Dominus agat; Non est autem dubium quin eo tempore quo remittebat peccata, dederit ei animum poenitentem sine quo nulla sit peccatorum remissio; jam enim credebatur ille paralyticus, ut notavit S. Joannes Chrysostomus, alioquin non se permisisset submitti per lectum.*

Nunc verò, ut ad nos, atque ad institutum nostrum ista referamus, considera hoc imprimis spectare ad eos, qui viam perfectionis ingrediuntur, & per eam incedunt, quæ purgativa dicitur, ut de peccatis purgandis & remittendis maximè solliciti sint, ut ait Sapiens, de viro justo seu justitiæ & perfectionis studioso, *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur. Quin & pro impijs jam confessione purgatis & remissis, ut idem expresse Sapiens: De propitiato peccato non esse sine metu, id est sine aliqua cura, & solitudine.*

Verùm ne sit anxia, & molesta scrupulis sollicitudo, sed religiosa & rationabilis, veritate hodiernâ commonemur, atque unâ eadèmq. ratione, nec nimis anxiam esse habendam, nec ra-

tiona-

rationabilem esse deponendam, demonstratur.

Est autem ratio evidens, nec tam multā eget declaratione, quā consideratione, ut dignē expendatur. Cū sint videlicet duo quædam extrema, in quæ nobis proclive est & valde periculosum labi; nempe ex una parte, nimia timiditas seu abjectio animi; ex alia verò, nimia securitas & elatio; nihil aptius quā ut talis moderatio procuraretur inter illa duo extrema utrimque periculossima, ut ne quis nimis se abjiciat, aut se nimis efferat & præsumat.

Quis enim non videt quanta dimanent à pusillanimitate damna? Sic paucis eā dinumerat S. Bernardus: *Sicut sanctis & elatis tribulatio operatur patientiam, patientia probatorem, probatio spes, spes autem non confundit: sic damnatis & reprobus tribulatio parit à contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatione desperationem, & illa interimit.*

Ep. 32.
Rom. 5.

Serm. 11.
in Ps. qui
habitat.

Ab elatione verò & præsumptione quā sit timendum sic idem solius. *Via Damonum præsumptio & obstinatio. Propter præsumptionem stare non potuerunt, propter obstinationem, qui cecidit non adiciet ut resurgat. Quā per verso & everso sunt corde filii hominum, quicunque sectantur vestigia demonum, ingrediuntur demonum vias. Hæc enim tota aduersum nos spiritualium collusionatione nequiarū est, ut nos seducant, ut nos inducant in vias suas, ut deducant in eis, & perducant ad delinquentium finem, qui paratus est vis. Fuge homo præsumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus; Nempè in his maxime vitiis gaudet, in seipso expertus quā difficile possis ab hac tanta veragine respirare.*

Deut. 5.

Isae. 1.

Prov. 4.

Nonne hæc tremenda? nonne hæc cavenda & fugienda, sicut tot es admonemur, neque ad dexteram, neque ad sinistram ire? Ac proinde, nonne nobis conquirenda & formanda est Moderatio quædam animi, quæ nos in medio statuat, ne in alterutram partem declinemus? Tu Domine Deus iter meum dirige; *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam.*

Ps. 142.

II. PUNCTUM.

SED quantum est ex nostra parte, non potest ista moderatio formari aptius, quā si abjecta sollicitudine anxia de peccatis nostris, retineatur rationabilis.

Sic enim ab utroque simul liberamur extremo. A primo quidem quod est timiditas vel desperatio, dum nimia & anxia sollicitudo de pec-

catis rejicitur. Deinde verò ab alio quod est præsumptio, tui sumus, dum rationalis sollicitudo retinetur: sicque fit ut in media illa via fiducia-liter ambulemus, ubi pes noster non impingat, ut ait Sapiens,

Prov. 5.

Quod ut melius intelligatur, & ad praxim revocetur, advertendum est, quod sicut nimia sollicitudo, & damnosa securitas inde proveniunt, quod vel sola Dei Justitia peccatum severe punientis, vel sola Dei misericordia peccatores benignissimè recipientis, consideretur: sic rationalis sollicitudo formatur ex eo, quod iudicium seu justitiam, & simul misericordiam Dei nobis proponamus. Hi sunt duo pedes, cum penitente Magdalena simul osculandi, & ungenti; ut præclare & fuse S. Bernard. *Pedes, inquit, isti sunt misericordia & iudicium, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, vel desperatio fugienda. Quis enim Dei misericordiam in desincuter attendens, non statim tepidioris vita quiete exoptet? cum enim recogitat universalis Dominum formam servi pro servis suscipere, triginta & tribus annis operari salutem nostram in medio terra hujus, capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filius hominum statim deceptorii spe sibi blanditur, & alludit, gaudet observari in misericordia & miserationibus iudicium nescit, ignorat justitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur qui sic osculatur misericordiam pedem, ut pedem iudicium non attendat, qui totum de misericordia pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit.*

In Feste
S. Mariæ
Magdal.

Rursus, cum abducit os, & iudicium pedem crebris oculis intertangit, succutitur carnis animæ, substantia, & utriusque hominis spiritum vehementior aura percussit. Horrendū nim est incidere in manus Dei viventis, offendere, nescire dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet potestatem corpus & animam ponere in gehennā. Terribilis coram, sicut ait Apostolus, quædam expectatio iudicii. Et quæ plura habet de hoc terribili iudicio; unde concludit: *Quis hæc diu cogitans non statim contremiscat, & in desperationis rotetur abyssum. Non est igitur huic pedi morosus incumbendū, ne pietatis intuitum ferocia iudicantis excludat. Virumque, igitur inungat pedem, animæ penitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium deosculans, contritulari spiritus offerat holocaustum. Vile Mariam iudicii pedem fortiter attendentem, dum nobilis, & lasciva mulier conniventiū faciem non ascendit, sed extenso corpore prostravitur pedibus*

Z 3

Majest.

Al. jessatis, doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & misericordia pedem labii impressibus osculatur, in cuius spe, firmiter inharere vestigiis Christi Redemptoris, donec audiat, Remittuntur tibi peccata tua. Tum ostendit quomodo idem ejus exemplo præstare possimus; ex quibus S. Patris verbis, sicut appetit patet quid sit abjicere anxiam sollicitudinem, & retinere rationabilem, nempe non spectare solū judicium, nec solam seorsim misericordiam, sed utrumque simul sibi proponere; sic etiam evidens est, quod si à nobis id præstetur, tunc moderatio & temperamentū formabitur, quod erat exoptandum inter illa duo extrema vitiosa, de quibus cavendis dictum est. Neque enim tum eris pusillanimis & abjectus, quia sperabis in misericordia: neque elatus & arrogans, quia timebis judicium. O verè rationabilem sollicitudinem! O timorem omni securitate securiorem!

III. PUNCTUM.

SICUT ergo non est habenda sollicitudo nimia seu anxia & scrupulosa de peccatis remissis, & de futura salute: sic rationabilis non est deponenda, quia non minus timenda est elatio & præsumptio, quam desperatio: ac proinde sicut ne desperes, fugienda est nimia illa sollicitudo de peccatis: ita ne nimis efferas, & præsumas, retinenda est rationabilis, quæ sic sperat, ut timorem non deponat, sic timet, ut spem non abjiciat, sed utrumque simul tam firmo & inviolabili nexu conjungit, ut neutri alteri proflus præjudicet. *Qui timetis Dominum, sperate in illum. Hoc clamant passim Scripturæ; sed eadem etiā nihil aliud resonant, quàm quod, misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum. Nolite timere, aiebat Moyses ad populum; ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Quid verò ait? Nonne sibi contradicit? nonne tecum ipse pugnat! quæ sunt illa verba nisi pugnantia, & sibi contradictoria. Nolite timere; & ut terror illius esset in vobis. Si verat eos timere, cur addit, ut terror esset in illis? Nempe distinguendus duplex timor quorum unum vetet, & alterum jubeat. Vetat quippe timorem illum anxium quo Judæi timebāt mori: Jabet verò terrorem salutiferum, quo illi & nos concussi nunquam peccemus, neque de salute comparata ita certi & securi simus, ut desides facti, bona deseramus opera, vel in ipsi selati operibus non revereamur divina judicicia.*

Non sit ergo irrationabilis timor, inquit S. Ambrosius: Etenim vera Sapientia à timore Dei

Eccles. 2.

Luc. 1.

Exod. 20.

Ps. 118.

incipit, nec est Sapientia spiritalis sine timore Dei: ita timor sine Sapientia esse non debet.

Sic præclardè S. Gregorius, Gregoriæ cuidam nobili scemina, quæ optabat suorum peccatorum remissionem ipsi sancto Pontifici revelari. Rem, inquit, & difficilem, etiam & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia indignus sum cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vita tua ultimo plangere eadem peccata minime valebis: quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metueri culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certè Paulus Apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradysum quoque ductus fuerat, arcana verba audiverat qua homini loqui non liceret: & tamen adhuc trepidans dicebat, castigo corpus meum, & servituti subicio, ne forè alius predicans ipse improbus efficiar; adhuc times, qui jam ad cælum ducitur: & jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur! Perpende, dulcissima filia, quia mater negligentia solet esse securitas, habere ergo in hac vita non debes securitatem per quæ negligens reddaris: scriptum est enim, beatus vir qui semper est parvidus. Et rursus scriptum est, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore, mentem vestrâ necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exulet; Idemque in moralibus fulsissimè de Sanctis omnibus. Certitudinem, inquit, sibi in se promittere non præsumunt, sed positi inter gaudium spei, & tentationis metum confidunt & timent, confortantur & timent; certificantur & suspecti sunt.

Epistolar. l. 6. c. 186

2. Cor. 12.

1. Cor. 9.

Prov. 28.

V. de mor.

l. 20. c. 4.

c. 5.

Serm. 6.

Hoc ipsum de se in particulari proficitur S. Bernardus in Canticis, sibi applicans quæ de Magdalcæa penitente dixerat de utroque pedis osculo, ut videas nemini unquam quantumvis sancto & probato deponendam esse rationabilem sollicitudinem, sicut nec retinendam anxiam & irrationabilem. Datum est, inquit, & mihi misero nonnunquam sedere secus pedes Domini Iesu, & modo hunc, modo illum tota devotione amplecti, in quantum me sua benignitas dignabitur admittere. At siquædo miserationis oblitus, stimulae cõscientiæ, judicio paulo diutius inharerè: mox me tu incredibili ac miserabili cõfusione dejectus, & tenebroso circumfusis horrore, hoc solū palpitans de profundis clamabam: Quis novit potestatem iræ tuæ, & prætimore tuo iræ tuæ dinumerare? Quod se relicto, pedè misericordia plus tenere contingeret, tanta è contrario incuria, & negligentia dissolvitur,

Est, ut confestim & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promptior, & sermo incautior, & omnis denique, utriusque hominis status inconstantior apparet. Proinde magistra instructus experientia, non iudicium jam solum, aut solam misericordiam sed misericordiam & iudicium cansabo tibi Domine.

Denique quanta sit obligatio huius sanctae solitudinis retinendae, & in quo fundata sit, sive praeteritum, sive futurum spectes, audi Concil. Tridentinum contra praesumentes: Sicut nemo prius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; Sic quilibet, dum se ipsam suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gra-

tiam Dei esse consecutum. Et paulo post diverso cap. Veruntamen, qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in elemosinis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate. Formidare enim debent scientes, quod in spem gloriae, & nondum in gloria renati sunt, de pugna que superest cum carne, cum mundo cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent dicenti, debitores sumus, non carni ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

HEC etiam meditare, in his esto, in ista in illis; hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

C. 13. 6-
Iusd. fess.

Rom, 8.

1. Tim. 4.

FERIA QVARTA. DE COGITATIONIBVS PHARISÆORVM DETECTIS A CHRISTO DOMINO.

ET DE NOSTRIS AD VIRTUTEM PERFECTE DIRIGENDIS.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Matth. 9.

VERITAS PRACTICA.

Nisi, quod monet Sapiens, omni custodia servas cor tuum, non omnino servas.

RATIO petitur ab eodem Sapiente, cuius est hac sententia, Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Sic autem declaratur.

NISI cor tuum servas, quantum est satis ad vitam, qua ex ipso procedit, non omnino servas illud.

Sed nisi omni custodia servas, non servas quantum est satis ad illam vitam.

Ergo nec omnino servas; Quod quam sit damnosum & cavendum, patet.

I. PUNCTUM.

*Marsi 2.
Luc. 5.* **A**DERANT plurimè Scribis & Phariseis, cum Christus Dominus dixit paralytico, Remittuntur tibi peccata tua; Tum illi, ut narrent Evangelistae, ceperunt cogitare dicentes, quis est hic qui loquitur blasphemias? qui potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Vi cognovit autem Iesus cogitationes*

eorum, respondens dixit ad illos; Quid cogitatis in cordibus vestris, seu ut est apud S. Mattheum, quid cogitatis mala in cordibus vestris? Verè etenim mala & pessima erat eorum cogitatio, quâ Christum Dominum dicebant in corde, esse blasphemum-quod peccata remitteret. Ut verò se esse Deum declaret, & verè se posse peccata dimittere, detegit cogitationes eorum, quod est proprium solius Dei, & antequam illud proferent, quod cogitabant, illos interrogat, Quid cogitatis? Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quali diceret, Illa scio, illa video. O potentissimum reprimendis nostris cogitationibus frænum! Quis enim, si se videri à Christo cogitaret, cogitare simul vellet quæ ab eo nollet videri? Ego, Ego sum, Ego vidi, dicit Dominus.

Quamobrem hic de nostris primis cogitationibus ordinandis, & ad virtutis exercitium dirigendis cogitemus: hoc est enim proprium vitæ illuminativæ, & eorum hominum, qui peccatis purgati, proficere volunt in studio perfectionis.

Ad hoc autem plurimum confert Sapientis monitum, Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit; Nemo enī dubitat esse aliquā custo-

Ier. 7.

custodiam adhibendam; sed nulla est satis, nisi omnino adhibeatur, Nisi omnino custodia servetur, non omnino servas, quia videlicet nisi illud servas quantum est satis ad vitam quæ ex ipso procedit, non omnino servas.

*Estius in
4. Prov.*

*Arist. l. 2.
de part.
anim. c.
10. & 3. c.
4.*

Quæ ratio ut melius intelligatur, advertendum, hic cordis nomine intelligi mentem nostram, quæ est facultas cogitandi, intelligendi, & ratiocinandi: dicitur verò Cor quia sicut à corde principium est vitæ corporalis, sic à mente cum divina Gratia principium est vitæ spiritualis; hinc enim primæ cogitationes, unde affectus & virtutes, tum internæ, tum externæ, in quibus excernendis tota est vita, quæ spiritualis dicitur. Voluntas quidem est principium executivum, sed Mens est principium cognitivum quod illud antecedit, quatenus per præviã cogitationem Mens Voluntatem dirigit, quæ nihil appetit, nisi prius cognitum ab intellectu.

*Matth. 7.
& 12.
Ibid. 3.
Ibid. 12.
Ibid. 15.*

Hæc est arbor quæ si bona fuerit, bonos fructus facit; si mala, malos fructus. Imo hæc est a borum radix, ad quam securus ponenda est; hic est bonus thesaurus, de quo bonus homo profert bona; hoc est denique cor de quo exeunt quæ de ore procedunt, & quæ in opus transeunt.

Jam verò sicut cor nostrum, unde vita naturalis procedit, nisi tali diligentia custodiatur quæ necessaria est ad illam vitam conservandam, non satis custoditur, sic planè Mens illa nostra, unde est vita spiritualis, nisi custodiatur quantum satis est, ad hanc spiritualem vitam conservandam, non potest dici custodiri & servari. Cum enim ob id vel maxime mens servetur, ut sic vita conservetur, certè nisi vita conservetur, non satis mens servatur. Nam quid prodest aliter conservari, si, quemadmodum diximus, illud propter quod servatur, non conservatur. Sic graviter & luculentè S. Ambrosius, in morealem sensum derivans, quod in Genesi dicitur, diluvij tempore simul cum homine omnia esse deleta. *Sensu altiore*, inquit, illud manifestatur, quia homo mens est, quæ est rationis capax: Principali igitur extincto, etiam sensus omnis extinguatur, eo quod nihil reliqui ad salutem superfit, cum salutis fundamentum virtus defuerit. O virtutis defectum, à defectu servatæ mentis! quantis id gemitibus deplorandum, quod in æternum hi deplorant, qui se in inferno idcirco positos clamant. *Quid virtutis nullum signum valuerint ostendere.*

Sap. 5.

virtutis nullum signum valuerint ostendere.

* *

SED nisi omni custodia cor tuum, sive mentem servas, non hanc servas quantum est satis ad vitam spiritualem conservandam.

Duobus modis intelligi potest hæc omnis custodia, unus intensivè, alius extensivè, & uterque est tam necessarius, ut eorum alterutro desinente, vel illico desinat, aut periclitetur vita spiritualis. Nam primò quidem, si desit omnis intensiva custodia, id est tam intensa & sollicita, quàm merito exigit Gratia, vel status animæ, vel occurrens occasio, cades actu in vitium, vel habitu in vitiosum illum statum qui tepor dicitur, qui vomitum Domino creat, & qui est pejor frigidus statu. Hinc lachrymæ, hinc gemitus: *Posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodivi. Ille eris mollis & dissolutus in opere suo, qui frater est opera sua dissipans; Ille eris maledictus qui facit opus Dei fraudulenter seu negligenter; Illa eris arbor, quæ non facit fructum bonum, excidenda & in ignem mittenda; Ille eris infidelis servus non vigilans, cujus Dominus venit, quâ ille hora non parat, & dividet eum partemque eius ponet cum hypocritis: Ille eris denique tepidus cui dicitur, ut inam frigidus esses aut calidus; Quasi diceretur, nullus est pejor tuo, status. Nihil itaque deterius vitæ spirituali, quàm ista remissa Custodia, unde est ille status, qui est ipsa morte deterior, quæ per figuræ designatur.*

Deinde verò si extensivè omnis non adsit semper, & ubique Custodia, nonne illa parte, quâ deerit Custos, patebit aditus hostibus, qui semper infirma, & incustodita loci ambiunt, ut sic facilius sibi viam sternant? Sic præclare, S. Ignatius in regulis ad spiritus dignoscendos. *Solet, inquit, adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare, atque de prædavi cupiens, exploratâ prius naturâ & munitione loci, debiliorem partem aggreditur; Sic nimirum & ille circuit animam, & callide inquirit, quarumnam virtutum præsidis Moralium, scilicet aut Theologicarum ipsa vel imminuta, vel destituta sit; eaque potissimum parte machinis omnibus admotis, irrui ac subvertere nos sperat, quam in omnibus minus cæteris firmatam, custoditamque esse præviderit. Sic confortiter sancti Patres; qui videri possunt in quarta parte, Feriâ sexta infra Hebdomadam 13. post Pentecosten.*

Quænam vero illa potest in te esse pars infirmior & minus custodita? Nonne inde tibi times? aut unde tibi tanta securitas, ut nihil timeas?

Am

Is. 28. An tu ex illis es illuſoribus, Qui dixerunt; per-
cuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno feci-
mus pactum? qualiſi dicerem, licet aditus hoſti
pateat, non tamen irruet. Sed audiant quod re-
ſpondetur. Delabitur tale fœdus, & pactum iſtud
non obſtat. INGREDIETUR & manum ſuam
Thren. 1. mittet hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.

III. PUNCTUM.

NIſI ergo quod monet Sapiens, omni custodia
ſerues cor tuum, non omnino ſeruas; Quia
non conſervas vitam quæ ex ipſo procedit, &
quæ non conſervatâ nihil prodeſt cor ſervare,
quod ſimulatque deſicit cum deſiciente vita, ſi-
cut vita perit cum corde pereunte. Hic ruruſum
clamare liceat, quod Propheta, Diviſum eſt cor
Oſee 10. eorum, nunc interibunt. Verè tùm diviſum cor
tuum, quando non ei omnis adhibetur custodia,
quando pars ejus cuſtodita, pars incuſtodita
remanet. Unde tam facilè interit, quàm ſi nul-
là parte cuſtoditum eſſet. Et factus eſt Epraim
quasi columba ſeducta, non habens cor, Id eſt non
ſibi unde quaque vigilans, & attendens, ac pro-
pterea ſeduci facilis. Nonne ideirò columbæ
ſimpl. citati, prudentiam ſerpentis jungi voluit
ibid. 7. Dominus, tum ne ſic facilè decipiaris, ſi pru-
denter advertas ad ſingula, tum ut ſcias, in
quo præcipuè, & quamobrem illa prudentia &
advertentia eſt adhibenda? nempe ad conſer-
vandam vitam, ſicut ſerpens expoſito corpore
Matth. 10. totum caput tegit in quo eſt ipſius vita. Sunt
& alia quædam ſacra & myſtica in ſcripturis ani-
malia, quæ nobis proponuntur ad hanc ſoler-
tiam & indefectam vigiliam, nempe illa quæ an-

tè & retrò, atque intus etiam plena ſunt oculis.
Hinc fortè Sapiens: Ne dederis ſomnum oculis
tuis, nec dormitent palpebra tua; Quia ſcilicet
non dormit hoſtis, & hoc unum ſatagit, ut nos
conſopiat, & ſoporem morti conſociet, ut de Siſa-
ra dicitur.

Apo. 4.
Rov. 6.

Iud. 4.

Deut. 4.

Cuſtodi igitur temetiſum & animam tuam ſo-
licitè, dicebat ſuis Moſes; Ad quam ſolicitudi-
nem magis acuendam, cogitandum eſt animæ
pretium, tum ex Chriſti Domini ſanguine, quo
redempta, & ſic eſt nobis reddita, tanquam de-
poſitum quod ſanum illi & integrum reſtituen-
dum eſt, unde Apoſtolus, O Timo: hec depoſitum
cuſtodi. Et rurſus, Bonum depoſitum cuſtodi per
ſpiritum ſanctum, qui habitat in nobis; quaſi
diceret, non ſufficit noſtro cuſtodire ſpiritu, ſed
ipſo ſancto cuſtodendum eſt, ut ſic omni ſerve-
tur custodia; reus eſt alioquin pereuntis depo-
ſiti depoſitarius, ſi perit ipſius culpa.

1. Tim. 6.
2. Tim. 1.

Quid ego infelix, clamat S. Bernardus, quò
me veram? tantum theſaurum, ſi pretioſum de-
poſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio
pretioſus judicavit, contigerit negligentius cuſto-
dire? Quæ plura S. Pater pergit, habentur in
ſecunda parte, Dominiſca ſecunda poſt Paſcha.

Serm. 3.
de Advè-
tu Dom.

Denique ſi Deum rogas, ut te cuſtodiat ſicut
pupillam oculi, qualem oportet eſſe cuſtodiam
tuam, cum ipſo adjungendam? Certè ſi non ſit
omnis, non poteſt non eſſe inferior illi, quam
affers pupillæ tuæ: ſi autem eſt inferior, indignus
eſt quem ſic Deus cuſtodiat ſicut oras, cum tu
ipſe perderes, quod ille cuſtodiret.

Pſ. 16.

Vide in 4. parte, Feria ſexta infra Hebdoma-
dam decimam quintam poſt Pentecoſten.

FERIA QUINTA.

DE INTEGRA SANITATE PARALYTICI
PORTANTIS LECTUM, A QUO
PORTABATUR.

ET DE NOSTRO PROGRESSU SPIRITUALI
QUID IN EO FIGURATUR.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9.

VERITAS PRACTICA,

Tantum proficies, quantum à te deficies.

RATIO EST, Quia totus profectus eſt in acceſſu
Hayneſiue Pars prima,

per virtutes ad puram Charitatem.
Sed quantum à te deficies, tantum ſic accedes ad
illam puram charitatem.
Ergo & tantum proficies, quantum à te defi-
cies,

Aa

I. PUN-

I. PUNCTUM.

QUOD de omnibus Christi miraculis univèrsim dici potest, sic ab eo esse facta, ut se Deum manifestaret; hoc singulariter de isto sanato Paralytico considerandum est. Cum enim Pharisæi affirmassent solius Dei esse, remittere peccata; tum ille ut ostenderet se habere hanc potestatem, ac proinde se esse Deum, jubet Paralyticum surgere & ambulare. *Quid est, inquit, facilius dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere: surge & ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc dixit Paralytico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Ex hoc patenti scilicet, & manifesto signo, quod luis ipsi cernebant oculis, qui aderant, aliud occultum, & invisibile poterant facillimè cognoscere. *Fit carnale signum, ait Beda, ut probetur spirituale. DIXI Domino: Deus meus es tu.*

Ps. 15.

Verùm non hic adoranda solùm eius Divinitas, sed & Divinitatis tria celeberrima Attributa Potentia, Bonitas, & Sapientia; Potentia lucet in sanitate reddita paralytico, tam integrè & perfectè, ut ipse statim atque iussus est, surrexerit, & lectum lætus portavit domum, cunctis videntibus, & admirantibus. Bonitas in salute animæ restituta simul cum sanitate corporis. Sapientia denique in repræsentatione nostri progressus spiritualis, sub figura illius sanati hominis, suum lectum portantis, à quo prius portabatur. Sic enim maximè progredimur in spiritu, cum carnem seu appetitum sensualem subijcimus spiritui, quem sibi ante eam subijciebat. *Sic sanatus hoc portat, ubi infirmus jacuerat, inquit S. Gregorius, & alibi: Porta lectum in quo portatus es.* Id est, carnem, in qua prius jacebas ægrotus. Sanctus quoque Bernardus: *Grabatum, inquit, tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis eius, sed magis ipsa sui dignum est, regat illud, & ferat quò non vult.* B. evius denique S. Augustinus. *Non in Carnalibus gaudiis tamquam in lecto requiescat anima, sed magis affectiones contineat.*

23. Mo.
c. 23.
Hora 12.
in Exech.
De quatuor.
orandi
modis.
I. de qq.
Evang.

Hoc est proficere & progredi in via Domini, & hæc est via propriè Illuminativa, quæ appetitum coercendo, in virtutibus se se exercet, atque hic eorum status, qui dicuntur Proficientes. Quem ut facilius intelligas, quæ multa de hoc à multis conferuntur, habes hic collecta breviter, in hac proposita Veritate, *Tantum proficies,*

quantum à te deficies. Et ratio quidem jam satis ex se plana, tum ex citatis patribus planior, hoc præsupponit quod ait S. Thomas, sicut Incipientium status est in recessu à peccato, ita Proficientium in virtutum exercitatione, donec uni adhæreant Deo, quod est puræ & perfectæ Charitatis.

2. 2. 9. 24
4. 9.

Non desinunt, inquit S. Doctor, omnes quidem proficere, & incipientes, & perfecti: principalior tamen cura imminet Incipientibus, ut resistant peccatis, quorum imminutionem minus sentientes jam quasi securius intendunt ad profectum, ex una tamen parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium ut dicitur in Esdra, de edificatoribus Jerusalem. Perfecti etiam Charitate proficiunt, sed non est ad hoc principalis eorum cura, sed jam eorum studium circa hoc maxime versatur, ut Deo inhæreant. Et quamvis hoc etiam quarant Incipientes & Proficientes: tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem; Incipientes quidem de evitacione peccatorum. Proficientes vero de profectu virtutum.

2. Edr. 4.

Hæc ille ad verbum, ex quibus duo manifestè patent, quæ in propositione continentur, primò profectum de quo hic agimus esse tendentiam & accessum ad perfectam Charitatem, prout ait Apostolus. *finis præcepti, est Charitas de corde puro, & bonâ conscientia, & fide non ficta.* Deinde verò hanc tendentiam & accessum non aliter fieri quam per Virtutes, de quibus dicitur, *ascensionem in corde suo d'posuit, ibunt de virtute in virtutem: Atque in hoc, inquit S. Thomas, vera Virtus simpliciter dignoscitur ab apparenti & falsa quòd illa ordinet ad principale bonum hominis; citatque philosophum dicentem, quod Virtus, est dispositio perfecti ad optimum: quæ omnia uno verbo complexus est Apostolus, cum dixit, *Veritatem facientes in Charitate crescimus; quasi diceret, per veram Virtutem ascendamus ad veram Charitatem, Has ascensiones in corde suo ponunt quidam quotièdè alij verò descensiones, inquit S. Hieronymus, O quanta utrorumque differentia! O quanta in nobis, Anim, quàm manifesta descensionis signa, nec tamen aut emergimus, aut in imum labi timemus!**

1. Tim. 1.
Ps. 83.2. 2. 9. 24.
4. 7.
8. E. hit.

Phil. 4.

II. PUNCTUM.

SED quantum à te deficies, tantum accedere poteris per Virtutes ad veram Charitatem.

Quid est enim à se deficere, nisi, quod iam supra dictum est, appetitum & inclinationes natura-

turales Rationi seu Gratia subijcere? Quod quantum ferio & constanter feceris, tantum Virtutes exercebis, quarum exercitium in hoc uno consistit, ut rationem & ordinem omnibus nostris affectionibus & actionibus ponant. Nam cum nihil resistat Rationi aut Virtuti, quam iste naturalis appetitus quem coerces, dum à te deficiis, quid est quod præterea Virtutis exercitium impedire possit, & accessum ad illam Charitatem quò tendimus?

Rom. 8.

1. Cor. 6.

2. Cor. 4.

Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, inquit Apostolus, vitâ illâ scilicet verè spirituali & divinâ, quæ purè diligendo & fruendo Deo peragitur. *Nam qui adhaeret Domino, unus spiritus est*: atque idcirco idem alibi, *Mors*, ait, *in nobis operatur*, Id est, dum à nobis deficiamus, nobis morimur; cum autem nobis morimur, tam apti sumus cum divina gratia ad benè operandum, ut, quamùm dici potest ex parte nostra, mors ipsa sit quæ in nobis operatur; Inde est operatio, quia nobis mortui sumus.

2. Reg. 105.

1. Reg. 2.

Nam. II.

Quod si etiam ad Divinam Gratiam, operationes nostras, tanquam ad suum principale principium referimus, numquam melius operatur Gratia, quam in tali morte; quia nihil tum illi resistit: *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur*: ait Regius psalter; Tum vero post: *Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terra*; quasi diceret, quando Spiritus sanctus vult majora operari in aliquo, parat sibi viam, & facit sibi locum auferendo spiritum ejus: sicque mortificat & vivificat; deducit ad inferos & reducit; pauperem facit & ditat; humiliat, & sublevat. O Domine quam libenter idcirco cum Mose dicerem: *obsecro ut insercias me, & inveniam gratiam in oculis tuis*.

III. PUNCTUM.

TANTUM ergo proficies, quantum à te deficies. Nam sic per continuum virtutis exercitium accedes ad illam Charitatem, in qua est Perfectio, sicut in ejus accessu via est, & profe-

ctus Proficientium. *Egredere de terra tua*, dixit Deus Abrahamo; Tum verò post, *ambula coram me, & esto perfectus*. Hic est videlicet ordinarius vitæ spiritualis progressus, *exire à se ipso*, seu à depravata sua natura, *tum ambulare per veras virtutes*, donec quiescas in uno Deo, sive hic in via per inhaesionem Charitatis, sive in patria per fruitionem Visionis. Hæc est saturitas, quæ promittitur esurientibus & sitientibus justitiam. Hic Thesaurus in agro absconditus, & Margarita pretiosa, quibus comparandis sunt omnia divendenda. Hæc est Cœna magna, & hæc regales nuptiæ ad quas invitati, sua omnia debent relinquere. Hoc bravium quod accipit qui sic currit, & comprehendat. Hoc est manna absconditum, quod viventi datur; Nemo autem vincit nisi certet, nec est aliud certamen, ad hanc victoriam comparandam, quam nobiscum, quam contra pravos concupiscentiæ motus; *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*.

Sen. 12.
S. 17.
Aa. 7.

Matth. 5.
Ibid. 13.
Ib. 22. &
Luc. 14.

1. Cor. 9.
Apo. 2.

Hebr. 12.

Vide itaque ad dignoscendum profectum tuum, quantum à te defeceris, quantum ab amore excellentiæ, commoditatum, & gloriæ: hæc si adhuc menti hærent, certè tu longè es à termino, qui vix in via primum feceris gradum. O quam verè de nobis Apostolus; *Non deficiamus, sed abdicamus occulta dedecoris*. Id est, non plenè nobis morimur, non stirpitus eradicamus pravas nostras cupiditates, sed tantum tegimus quod ex illis est magis probrosum & inordinatum; atque hinc fit, ut nihil proficiamus. Hoc enim unusquisque persuasum habeat, inquit S. Ignatius, *tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, & commodi proprii affectione, sese abstraxerit*. *FILI quantum vales à te exire, tantum poteris in me transire*. Nostine hanc vocem, cujus sit Authoris, vel cujus Patris ad filium? Vide quæ plura illic habentur, & statue aliquid particulare quod inhaeret tenacius, tenacius expugnandum. *Agonizare pro animata, & usque ad mortem certa pro justitia*.

2. Cor. 4.

In fine 2.
Hebdom.

L. 3. de
Imit. Ch.
c. 16.
Ecclos. 4.

FERIA SEXTA.
DE PERFECTA PARALYTICI.
OBEDIENTIA.

ET DE EA QUÆ DICITUR OBEDIENTIA
CHARITATIS, QUÆ PERFECTAM
CUM DEO FACIT
UNIONEM.

*Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat,
& abiit in domum suam magnificans Deum,*
Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Est quidem certum in Charitate unionem esse perfectionis: sed non est certò dicenda hæc Charitas neque hæc unio, nisi in obedientia quæ dicitur Charitatis.

1. Pet. 1. **RATIONEM** ministrat S. Petrus cuius hæc sunt verba: Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, id est purificantes per illam obedientiam qua à Charitate proficiscitur, & per quam Charitas exercetur. Sic autem formatur Ratio.

NUNQUAM magis est certa hac anima cum Deo unio, nisi cum anima magis est castificata ab omni amore proprio, propriaque voluntate.

Sed anima nunquam est magis castificata ab omni propria voluntate, quam in obedientia charitatis.

Ergo nec unquam magis certa est hac unio, nisi in tali obedientia: proindeque omni modo procuranda.

I. PUNCTUM.

AD divinæ potentæ quæ in Christo erat, vim & virtutem manifestius declarandam spectabat quidem, ut Paralyticus statim atque iustus est, surgeret, viderentque omnes, qui aderant, qualis ille esset Dominus, cui sic morbi obedirent. Sed quamobrem Vir ille sanatus tam citò domum repetit? cur non paulò diutius sistit, vel ut Benefactorem suum agnoscat, etque gratias ampliores reddat, vel ut sanitatis receptæ congratulationes, à turba illic spectante recipiat, vel ut rectum sua causa fractum, regulasque disjunctas reparari curet?

Administranda certe viri obedientia! Quia

non modò erat iustus è lecto surgere, sed etiam lectum tollere, & domum suam repetere: nihil prorsus eorum cogitavit, quæ ipsum poterant remorari, sed ita mente simul & corpore confirmatus & efformatus est ad obsequium Domino suo reddendum, ut sicut ægritudo imperanti Christo statim obediverat, ita æger confestim obsequeretur: sicque illicò nihil cunctatus, sublato in humeros lecto, discedit ab omnibus, & ab ipso Christo, ut domum repetat, quia sic erat iustus.

O perfectæ modum obedientiæ! O singulare perfectionis Exemplar, quæ in tali obedientia demonstratur! Est quidem perfectio in unione cum Deo, & est quidem in Charitate hæc unio perfectionis, sed neque illa unio, nec illa Charitas magis aut melius exercetur, quam in tali Obedientia, quæ hic nobis ad imitandum exhibetur. Sicut enim iste homo sanatus perfectè obediendo majores Christo refert gratias, & magis ipsum colere, magis diligere, magisque ei adhærente testatur, quam si ab eius latere nunquam se voluisset movere: ita planè vir obediens declaratur, ita planè obediendo demonstratur certius vera Charitas, vera unio, vera perfectio, quam si hæc extra obedientiam exercerentur.

Ratio continetur in hac præcipuè voce qua utitur sanctus Petrus, *castificantes animas vestras*, Id est, ita purificantes ab omni prorsus affectu & motu, qui perfectam impedit Charitatem, sicut purificari debet anima ab omni amore sensuali, ut sit perfectè casta. Hæc est tam certa perfectæ unionis nota, ut quò magis purificata fuerit anima, eò certius dici possit unita, quia hoc unum impedit perfectam unionem, quòd

quod anima non sit plenè purgata. Nihil enim debet esse intermedium, ut sit perfecta unio. quamdiu autem est aliquid in anima non purgatum, dici potest esse aliquid interjectum, ac proinde impediens perfectionem unionis & unionem perfectionis. *Quomodo dicitis, quod amamus me, cum animus tuus non sit mecum?* Quasi diceret, non est amor nisi sit animorum unio, non est verò talis animorum unio nisi animi sese amantium pari sensu & consensu conveniant. At non conveniet anima creaturæ cum animo Creatoris, nisi sit illa plenè purgata ab aliis prorsus affectibus, & quantum erit purgata, tantum conveniet, tantumque certò propterea unietur. *Fili relinque te. & invenies me.* Vide caput integrum & hæc præcipuè expende Verba: *Quid imprimò totos se offerunt, sed postea tentatione pulsante, ad propria redeunt. Hi ad veram puri cordis libertatem & jucunda familiaritatis meæ gratiam non pertingent, nisi integra resignatione, & quotidiana sui immolatione prius factâ, sine qua non stat nec stabit unio fruiiua.*

1ud. 16.

L. 3. de
lmi. Chr
c. 37.

Ps. 2.

Tanquam vas figuli contores eos; Id est, inquit S. Augustinus, contores in eis terrenis cupiditates, & veris hominis lutulentæ negotia, & quidquid de peccatore limo contractum atque inolitum est. Sicque fiet quod sequitur. *Et nunc reges intelligite. Id est, jam contritis lateis tegumentis, jam valentes regere quidquid in vobis servile atque bestiale est.* Sic videlicet capaces estis majoris Gratiæ, quæ intellectum instruat, & voluntatem accendat.

O illa in me descendat Gratia, ut sic instruat & accendat! ò me tanquam vas figuli sic Deus conterat, ut illa in me descendat Gratia.

II. PUNCTUM.

SED anima numquam est magis castificata & purgata ab omni proprio affectu, quam in obedientia Charitatis.

Hoc intelligi potest de actu, vel de habitu, ut sit sensus: Ex duobus Charitatis actibus, quorum unus sit in obedientia factus, non item alius: aut ex duobus hominibus quorum alter altero frequentius, & magis ordinariè ex obedientia velit charitatem exercere; si quærat uter eorum actus, sit purior Charitatis actus, aut uter eorum omnino purius diligit Deum; tunc dici debet ille esse, qui ex Obedientia sæpius operatur: quia perfecta obedientia, qualem hic præsupponimus, est holocaustum quoddam, ut ait S. Gre-

1. Reg. 15.

gorius, ex scriptura, *quo voluntas propria maratur, & id omne incenditur quod animam impuram reddit, eâ præcipuè impuritate, quæ in perfectorum operibus, & unitivâ viâ reperiri potest.*

Unde quod ait Sapiens, *Vir obediens loquetur victoriam*, sic interpretantur Patres, ut quia se ipsum obediens vincit, & se vincendo, se à seipso purificat, idcirco etiam puritate, viâ, & excellentiâ Charitatis illos superet, qui non ita obediunt, nec se ita castificant. Atque hæc est ratio, quâ S. Thomas ostendit Obedientiam inter virtutes morales esse præcipuam, quòd per illam videlicet, *homo contemnat quod in se habet præcipuum, nempe intellectum & voluntatem, & quo contempto purius adhaeret Deo.*

Nonne propterea duplici lepræ comparatur voluntas propria, propriumque consilium, quâ si quis purgari velit, *imitetur eum*, inquit sanctus Bernardus, *qui non vinis suam sed Patris facere voluntatem.* Tum post multa de hoc argumento sic pergit; *Audians igitur utriusque pariter, qui proprii consilij lepra sordent; audiant quid Spiritus dicat Ecclesiis, brevi uno versiculo, utramque lepram condemnans. Sapientia ait, quæ de sursum est, primum quidem pulvis est, contra propria voluntatis impuritatem; Deinde pacifica, contra consilij proprii obstinatam rebellionem. Audite ne hæc tamquam tibi dicta?*

III. PUNCTUM.

ESTO igitur, in charitate sit unio perfectionis, hæc quidem certum est, sed non est certa hæc unio, nisi in obedientia Charitatis; Quia ut si perfecta unio animæ cum Deo, debet anima esse pura ab iis quæ illam unionem impediunt: neque unquam certior est illa unio quam cum certius est animam sic esse puram: non est autem id certius, quam in Obedientia, ex Charitate perfecta ubi anima sic tota incenditur & purificatur, ut victima & holocaustum Deo gratius reputetur, quàm quæ in veteri lege offerrentur. *Melior est, inquit, obedientia quam victima & auscultare magis quam offerre adipem arietum.*

Sola quidem Obedientia sine Charitate non facit unionem cum Deo: sola etiam Charitas sine obedientia non facit certam, quia nec ipsa Charitas certa est sine Obedientia, propter amorem proprium, seu propriam voluntatem, quæ citra obedientiam, Charitati permiscetur; Unde restat certior & perfectior unionem

Aa 3 non

non esse nisi ex Charitate, & Obedientia simul junctis: atque adeo sicut per Charitatem Obedientia perficitur, ita Charitas per Obedientiam, verane sit & perfecta, manifestatur. Qui servat verbum ejus, verè in hoc Charitas est; ait dilectus discipulus, Sanctus quoque Bernardus aptissime de hoc obedienti amore & amanti obedientia. *Amat, inquit, castè & casto non gravatur obedire mandato, castificans magis cor suum, ut scriptum est, in obedientia Charitatis: amat justè, & mandatum justum libenter amplectitur; amor iste merito gratus, quia gratuitus, castus est quia non impenditur verbo, neque lingua, sed opere & veritate: justus est, quoniam*

Tract. de dilig. Deo

qualis suscipitur, talis & redditur. Qui enim sic amat, haud secus profectò, quam amatus est, amat quarens & ipse vicissim, non qua sua sunt, sed qua Jesu Christi, quemadmodum ille nostra, vel potius nos, & non sua quaesivit.

Vide quæ plura hic habet de hoc argumento; Et discè potissimum exemplo Christi Domini sic diligere obediendo, & obedire diligendo, ut omnia tua in charitate, & quantum fieri poterit, in obedientia fiant. Ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Certè hoc tibi Pater mandat, ut sicut fecit Filius, sic facias, Ioan. 14.

S A B B A T O.
DE MAGNIFICATO POST
MIRACULUM, AB OMNIBUS DEO.
ET A NOBIS SEMPER MAGNIFICANDO
IN OMNIBUS.

Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum; & repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.

Luc. 5.

VERITAS PRACTICA.

Si non semper, nunquam magnificas Deum.

RATIO EST, Quia nunquam magnificas Deum, si de divinis ejus Atributis non magnificè sentis.

Sed si non semper magnificas, nempe in adversis a què ac prosperis, non magnificè sentis de divinis ejus Atributis.

Ergo si non semper, nunquam magnificas Deum: quamobrem semper magnificandus.

I. P U N C T U M.

TRIA sunt præcipuè admirati, quotquot spectarunt insigne illud miraculum sanati paralytici. Primum, est, potestas summa sanitatis; Secundum, facilitas sanati morbi difficillimi; Tertium, causa & motivum patrati miraculi, nempe ut homo ostenderet se potestatem habere remittendi peccata, & proinde se esse Deum, cui uni hoc esse proprium Judæi crederent.

Tres item affectus admiratio illa produxit, primus est Stupor quidam, quo omnes sensus atque animi facultates præ ingenti admiratione detinentur, & defiguntur in objecto illo stupendo. Secundus est Timor ille, qui dicitur reverentialis, quò stupefacti ad se redeunt, mirum quàm mirificè de Christo senserint, & ad ejus venerationem fuerint provocati. Tertius denique, communis & publica Magnificentia seu glorificatio; quam passim inter se Deo dabant, & obviis quibusque significabant, hæc & similia crebro sermone usurpantes. *Quia vidimus mirabilia hodie; QUA nunquam sic vidimus.* Luc. 5. Marc. 2.

Hoc est scilicet Exercitium Divini Amoris & vitæ unitivæ in perfectis, qui dum contemplationi Divinarum Perfectionum & mirabilium Dei operum suaviter vacant, sic ad eum honorificandum & magnificandum excitantur, ut hoc unum in ore habeant, BENEDICTUS DEUS, MAGNIFICETUR DOMINUS, MANIFESTETUR CHRISTUS. Quod quidem facile est & perjuvandum, dum sic suaviter afficiuntur in Deum, sive ob infusos pietatis sensus, sive ob prosperos rerum gestarum eventus. Sed si sua-

vitas

2f. 49. **V**itas vertatur in amaritudinem, si prosperitas in adversitatem: an ita semper æquali facie reddent eandem Domino magnificentiam? Id valde rarum, & verè David Deo, de quovis homine. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei, quasi diceret, factis proni sunt homines ad benedicendum Deo, cum Deus illis benefacit: sed si aliquando Deus ad eorum probationem desinat benefacere, desinent & illi statim Deo benedicere.*

At verò audi; *Si non semper, nunquam magnificas Deum.* Quod certe est mirum, & idcirco attentius expendendum. Ratio autem quæ afferretur eò est solidior, quò in nativa significatione magnificandi Dei magis fundatur. Cum enim magnificare Deum, nihil aliud sit, quàm magnitudinem eius prædicare. Bonitatem, Sapientiam, Æquitatem, Justitiam, & alia eius Attributa seu divinas Perfectiones, & admiranda opera decantare, extollere, & dignis efferre præconiis; Certè nunquam ita magnificabis Deum, nisi de divinis eius Attributis magnificè sentias, alioquin aliud ore diceres, & aliud corde sentires, quod longè alienum est à divinis laudibus, & à suprema magnificentia Deo danda. *Date magnificentiam Deo nostro; MAGNIFICATE Dominum meum MAGNIFICATUR Dominus;* & quoties sic Scriptura nos invitat ad hoc debitum Deo persolvendum nonne id primò imprimi animis nostris, ut magnificè de Deo sentiamus, sicut revera, *Magnificus est in sanctitate, in justitia, & cæteris omnibus attributis;* hanc enim semper rationem proponit *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est equum & ascensorem dejecit in mare. MAGNIFICENTIA eius discurrunt nubes. TVA est Domine Magnificentia, Potentia, & Gloria. MAGNIFICATA est usque ad cælos Misericordia eius, & usque ad nubes veritas eius.* Quod cum ita revera sit, nemo aliter sentire de Deo potest: aut qui aliter sentiat, nunquam is Deum magnificare poterit: aut si magnificet, non nisi ut hypocrita, de quo bene prophetavit Itaias. *Hic labiis me honorat, cor autem eius longè est à me.* Velle sine hoc tibi exprobrar?

II. PUNCTUM.

SED si non semper magnificas Deum, id est in adversis aequè ac prosperis, non magnificè sentis de divinis eius attributis.

Quid enim sentis de divina eius Bonitate? Magnam scilicet & magnificandam cum relucet in prosperis: at verò cum ita non apparet in adversis, non esse ita magnam & magnificandam!

Itane verò putas sic te sentire magnificè de Dei Bonitate? Itane tantum dici poterit magnifica Dei Bonitas, cum in prosperis benefacit, cum verò manum retrahet in adversis, non erit etiam bonus Deus! O Blasphemiam non ferendam!

De divina verò Potentiâ, & summo eius Dominio, quid te magnificè dicis posse sentire, si non aequè magnificas in adversis, atque in prosperis, cum in eo præcipuè sit summum & absolutum Dominium, quod pro suprema sua potestate possit Deus de unoquoque homine ad nutum & voluntatem suam sic disponere, ut quidquid tandem adversitatis inde homini accidat, non possit homo dicere, *Cur ita facis?* Tu ergo qui hanc Potestatem non magnificas in adversis quid magnificè tandem de hac divina potestate sentis? quid de Justitia? quid de Sapientia? quid de aliis Attributis, quæ in malis inferendis non minus relucet, quàm in bonis? quomodo magnificè de iis senties, cum non essent magnifica, si tantum in bonis essent, & non in malis?

Audi S. Augustinum, *Tanta quippe est Omnipotens eius Bonitas, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitatem priorum cooptando, atque vertendo, sive etiam justissime vindicando; Omnia namque ista bona sunt, & Deo bono atque omnipotenti dignissima, nec tamen sunt nisi de malis.* Et rursum alibi *Qui creavit omnia valde bona, & mala ex bonis oritura esse præsevit, seivit magis ad suam potentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere.*

Hoc est magnificè sentire de Attributis; & à contrario, qui non ea in malis ita magnificat, de his non sentit magnificè, sed malignè, impiè, injuriosè. *Tres ille habet sententias, inquit idem S. Augustinus, aut non est Deus, sicut dixit impius cui displicet quidquid illi accidit præter voluntatem; aut injustus est Deus, cui ista placent, & qui hac facit: aut non gubernat Deus res humanas, nec cura est illi de omnibus; Nonne tremis ad hæc verba?*

III. PUNCTUM.

SI non ergo semper, nunquam magnificas Deum, Nam nisi magnificè de Deo sentias, nunquam Deum magnificas; non potes autem dici de illo sentire magnificè, si non semper & in adversis aequè ac prosperis magnificas, quia non minus tum verè est magnificus & magnificandus, quàm in prosperis quibusvis eventibus. *Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius*

in ore meo. DICANT semper, magnificetur Dominus, SEMPER, magnificabitur Christus in corpore meo. sive per vitam sive per mortem. Non putabant illi videlicet se posse unquam, nisi semper magnificarent: tu vero secus credes? Tu in proficis quidem, sed in adversis non æque Deum laudabis! Deplora hanc impietatem, & ut deinceps caveas, discite quod ait sanctus Augustinus. Breve magisterium, ut semper laudes Deum, veroque corde non falso dicas. Benedicam Dominum in omni tempore. Breve mysterium est scilicet, ut non veris cum misericorditer dare, cum dat; misericorditer auferre, cum tollit: nec te credas à Misericordia derelinqui, qua tibi aut blanditur dan-

do, ne deficias, aut te corripit exultantem, ne peccas. Sive ergo in ejus donis, sive in flagellis laudaeum; laus flagellantis, medicina est vulneris.

Sic quondam Rex ille potentissimus qui aiebat: Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico & glorifico regem Cœli: quia omnia opera ejus vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare: Quasi diceret, æque in adversis ac prosperis magnificandus est, quia æque in istis magnus est & omni dignus magnificentia. Sic Darius ejus successor decreto propterea facto, ut in universo imperio & regno, tremiscant & paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus unicus, & æternus in sæcula.

Ibid. 6.

DOMINICA QUINTA
POST EPIPHANIAM,
NISI SIT SEPTUAGESIMA.

DE ZIZANIIS IN MEDIO TRITICI
SEMINATIS, QUÆ CHRISTUS IPSE DO-
MINUS DECLARAVIT ESSE MALOS
HIC VIVENTES INTER
BONOS.

*Dum dormirent homines, venit Inimicus, & superseminavit zizania,
in medio tritici. Matth. 13.*

VERITAS PRACTICA.

Sicut non sunt amanda vitia, propter amicos homines: sic non sunt odio habendi homines, propter eorum vitia.

RATIO EST, Quia idcirco non sunt amanda vitia propter amicos homines, ne affectum nostrum preferamus Deo, qui vetat vitia. Sed si odio haberemus homines propter eorum vitia, sic affectum nostrum prefereremus Deo, qui vetat illud odium.

Ergo nec sunt amanda vitia propter amicos homines, nec sunt ulli odio habendi homines, propter eorum vitia. Quod tamen in praxi est rarum.

I. PUNCTUM.

SIMILE factum est Regnum cœlorum hominibus, qui seminavit bonum semen in agro

suo. Vide quod reliquum est parabolæ, & quam Christus ipse Dominus explanationem affert, eodem Capite, ubi hæc inter alia; Bonum semen hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam. Hinc porò est cruta Veritas multum practica. Ut neque sint amanda vitia propter homines vitiosos quos diligimus, neque sint odio habendi homines propter eorum vitia, que detestamur. Hoc enim sæpe accidit bonis, qui inter malos versantur, ut vel hos oderint, si non amant eorum vitia: vel si hos amant, non fugiant eorum vitia, sed foveant, & quodammodo comant ac amant: Quod utrumque valde damnosum est, & ex æquo cavendum propter eandem omnino rationem.

Nam quid est quod non sint amanda vitia propter amicos homines? Hoc primò est expendendum, quod sit facilius intellectu, unde aliud patebit apertius. Quid autem illud est, nisi quod aperte venentur à Deo vitia, que si amarem propter homines quos amamus, tunc